

III

IVSTITIAE ET CONSTANTIAE LAVS

ROMVLI APOTHEOSIS

Strophe Alcaica

Iūstum et tenācem prōpositī virum
Nōn cīvium ardor prāva iubentium,
Nōn vultus īstantis tyrannī
Mente quatit solidā, neque Auster,

Dux inquit turbidus Hadriae,
Nec fulminantis magna Iovis manus :
Sī frāctus illābātur orbis,
Impavidum ferient ruīnae.

Hāc arte Pollūx et vagus Herculēs
Ēnīsus, arcēs attigit īgneās,
Quōs inter Augustus recumbēns
Purpureō bibet ōre nectar.

Hāc tē merentem, Bacche pater, tuae
Vexere tigrēs indocilī iugum
Collō trahentēs ; hāc Quirīnus
Mārtis equīs Acheronta fūgit,

Grātum ēlocūtā cōnsiliantibus
Iūnōne dīvīs : ‘Īlion ! Īlion
fātālis incestusque iūdex,
Et mulier peregrīna vertit

In pulverem ; ex quō dēstituit deōs
Mercēde pactā Lāomedōn, mihī
Castaque damnātum Minervae
Cum populō et duce fraudulentō.

Iam nec Lacaenae splendet adulterae
Fāmōsus hospes, nec Priamī domus
Periūra pūgnācēs Achīvōs
Hectoreīs opibus refringit,

Nostrisque ductum sēditionibus
Bellum resēdit ; prōtinus et gravēs
Īrās, et invīsum nepōtem,
Trōīca quem peperit sacerdos,

Mārtī redōnābō. Illum ego lūcidās
Inīre sēdēs, discere nectaris
Sūcōs, et ascribī quiētīs
Ōrdinibus patiar deōrum.

Dum longus inter saeviat Īlion
Rōmamque pontus, quālibet exsulēs
In parte rēgnantō beātī ;
Dum Priamī Paridisque bustō

Īnsultet armentum, et catulōs ferae
Cēlent inultae, stet Capitōlium
Fulgēns, triumphātisque possit
Rōma ferōx dare iūra Mēdis ;

Horrenda lātē nōmen in ultimās
Extendat ōrās, quā medius liquor
Sēcernit Eurōpēn ab Āfrō,
Quā tumidus rigat arva Nīlus :

Aurum irrepertum, et sīc melius situm,
Cum terra cēlat, spernere fortior
Quam cōgere hūmānōs in ūsūs,
Omne sacrum rapiante dextrā.

Quicumque mundō terminus obstitit,
Hunc tanget armīs, vīsere gestiēns,
Quā parte dēbacchentur ignēs,
Quā nebulae pluvīque rōrēs.

Sed bellicōsīs fāta Quirītibus
Hāc lēge dīcō, nē nimium piī,
Rēbusque fidentēs, avītae
Tēcta velint reparāre Trōīae.

Trōīae renāscēns ālite lūgubrī
Fortūna trīstī clāde iterābitur,
Dūcente victrīcēs catervās
Coniuge mē Iovis et sorōre.

Ter sī resurgat mūrus aēneus,
Auctōre Phoebō, ter pereat meīs
Excīsus Argīvīs, ter uxor
Capta virum puerōsque plōret.’

Nōn hoc iocōsae conveniet lyrae :
Quō, Mūsa, tendis ? Dēsine pervicāx
Referre sermōnēs deōrum et
Magna modīs tenuāre parvīs.